

MEMORIAE
VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI AC CONSULTISSIMI,

SAMUELIS
SEYFRIDII,

Qvæsturæ Freibergensis, & quâ
montium metalliferorum inferiori tractus fines
patent, Præfecti optimè meriti,

NON. MART. MDCIC.
VITA PLACIDE DEFUNCTI

S. E. I.

CASPAR HEINRICUS HORNIUS, JC.



WITTENBERGÆ,

Literis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.

ANNO M DCC.





Derqvam pauci sunt, qui
ætate provecti septuaginta annos
attingunt vel superant, aut multum
excedunt, & ea demum accessione lo-
cupletati officio suo perfunguntur, &
æqvabili ac tranqvillo animo confi-
stunt, neqve a suscepto vitæ genere recedunt.
Tales qui esse contendunt, calamitates commu-
nis vitæ facile ferunt, & magno animi robore & firmi-
tudine adversus fortunæ vicissitudines se muniunt ac
suffulciunt, & mentem adeo liberam explicatamqve
& omni perturbatione vacuam servant: atqve hoc af-
secuti bene ac firmiter stant, nec partes suas deserunt,
& rationem vitæ optimam ad extremum usqve spiri-
tum jam senio confecti quoqve tenent. Hoc insti-
tuto usus est SAMUEL SEYFRIDUS, vir præsentis &
ad utrumqve parato animo Freibergensi Qvæsturæ, at-
qve rebus in tractu montium metalliferorum peragen-
dis præfectus, maximeqve his excultus rebus, quarum
scientia & usu vita, mentisqve tranqvillitas continetur.
Vir profecto in omnibus vitæ partibus magna cùm in-
tegritatis, tùm constantiæ laude versatus, & sua, quod
dignitati ejus sufficit, virtute cognitus, qui rebus ad vo-
luntatem suam fluentibus non elatus, secundam fortu-
nam pulcherrimè tulit; adversa vero nunqvam fractus
&

& perculsus eandem retinuit, servavitque vitæ rationem. Cujus pueritia, adolescentia & juvenus in tempora ob durissimum bellum, quo Germania nostra longe lateque flagrabat, difficillima, misera & luctuosa cum incideret, à teneris varios casus variaque rerum discrimina expertus est, matureque experientia edoctus, quibus malis, quot curis, quanta sollicitudine omnis hominum vita affligatur. Illis tamen rebus non passus est se opprimi, aut obtundi, sed casus in prudentiam vertit, animumque suum obfirmans, mala, quæ ipsum premebant, stimulos esse existimabat, quibus noctes diesque ad studium virtutis concitaretur. Quam cum bonis artibus incendi augerique intelligeret, tum Halæ Saxonum, tum Freibergæ apud Hermunduros inter bellicas turbas in studiis humanitatis ac literarum magna cum alacritate versatus est, nullisque laboribus parcens, id consecutus, ut de egregiis fructibus & ipse sibi, & alii ex animo gratularentur. Qui Argentorati postea, quo fortuna illum ducebat, incrementa maxima cepere, ubi juris civilis studio præstantissimos Ictos, quibus semper ista urbs claudit, doctores nactus, multum operæ dedit, eaque solida & recondita juris peritia imbui omnibus viribus conatus est, quæ legum causas rationesque aperit, veramque & interiorem, non simulatam Philosophiam tradit ad vitæ publicæque rei utilitatem. A quo proposito nullare deterreri potuit, sed in suscepto semel consilio semper permansit, & illud perpetua constantia roboravit; optimisque rebus instructus eo tempore, quo pacis dulcissimum & pulcherrimum nomen Germaniæ reddebatur, ad patriam terram se recepit, quod ejus commodis se natum crederet, atque ejus utilitati privatas rationes cedere debere, pie prudenterque arbitraretur.

tur.

tur. Prodiit vero mox, postquam Freibergam, quam per totum vitæ tempus, quod secutum est, illustravit, sedem sibi non sine Divino quodam instinctu constituisset, in lucem fori & medium hominum, atque causas orandas defendendasque coram illis, qui tribunali- bus præsunt, magno cum applausu & felicissimo cum successu suscepit, talemque se gessit, ut maximæ fidei, paræ constantiæ, nec verecundiæ minoris laudem apud omnes, qui de ingeniis judicare poterant, adipisceretur. His virtutibus gravitas, continentia & justitia accedebat, ob quas dignissimus habitus est, qui in Senatum legeretur, exornareturque Prætura: quod utrumque munus magna prudentia, fide & industria obiit, atque offensionem vitavit æqualitate decernendi, benevolentiam adjungens audiendi lenitate. Quibus præclare gestis Aulæ Electorali, optimoque Principi D. JOHANNI GEORGIO II. innotuit, cujus indulgentiam plenissimam expertus, Quæsturæque Freibergensi impositus, fidem Domino semper approbavit, mandata ejus curavit sedulo & gnaviter, ac vim legum autoritatemque judiciorum summo studio tuitus est, & custodivit. Neque unquam postea ab hoc declinavit tramite, sed viam, qua semel ingressus, magna animi contentione persecutus est, novaque dignitatis accessione a D. JOHANNNE GEORGIO III. res extra Freibergensem Quæsturam in tractu Hermunduro- rum curæ fideique ejus committente auctus, majorem in modum omnes nervos intendendos esse opinabatur, ut recte & ordine omnia peragerentur. Itaque nec potentia & autoritas, nec amor, aut odium, nec invidia, nec misericordia, nec timor, nec molestia, nec commodum, nec quicquam aliud, quod multorum sæpe animos in devia & aversa propellit, apud ipsum ef-
fice-

ficere poterat, quo minus justum & æquum in prætorio judicem se præberet, & ad conscientiam omnia referret, recteque facti non ex populi sermone, sed ex facto peteret mercedem. Ad justitiæ vero laudem prudentiam adjungebat, qua apta ratione colligebat præsentia, & futuris comparabat, ac progressus intelligebat illorum, ac quomodo quæque inter se nexa & colligata essent, ac utrisque utraqve accommodari possent, animo præcipiebat. Prudentiæ pondus roburque addebat pietas adversus Deum immortalem, fundamentum omnium virtutum, qua nihil antiquius habebat, primordiaque omnium rerum gerendarum capiebat à divino Numine, quod omnium mentes maxime perspicere, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, intueri, optime intelligebat. Non requiram testimonia, quorum permulta, quæ ad res publice gestas pertinent, in promptu sunt: unum enim, quod neminem potest latere, multorum instar, & omni exceptione majus sufficit; virum istum raro hodie exemplo à quatuor potentissimis Principibus muneri semel concedito per sex & triginta annos, & ad extremum usque vitæ halitum relictum esse, nec unquam conditionis suæ passum mutationem. In rebus privatis erga conjuges, quas tres habuit, liberos, necessarios, propinquos, familiares ac cives officiis ita perfungebatur, ut quemvis amore, quo decebat, persequeretur, omnibus prodesset, noceret nemini, atque ita nomen titulumque insignem & pulcherrimum viri boni, & sapientis apud omnes mereretur. Sorte sua contentus ambitionem & avaritiam cum sapiente, tum christiano nomine indignas censebat: officia præstabat sine furo & suspicione, institu-
ta

ta & consilia moderatione, pietate ac prudentia temperabat. Vigebat in illius domo patrius mos, & disciplina: nullus intemperantiæ & luxui relinqvebatur locus, sed singularis quædam & admiranda ac imaginem patris ævi referens frugalitas in victu & cultu absque omni tamen forditie conspiciebatur. Res ludicras ac inanes, nulliusque usus, æque ac illos, quide his sermonem habebant, aspernabatur, nihilque à suis, nisi quod honesta utilitas commendabat, fieri volebat. Quæ vitæ ratio bonæ compositæque mentis fructum illi attulit maximum, effecitque, ut, qui alios conturbant & deprimunt casus, illis excelso animo obluçtaretur, eundem semper vultum, eandemque frontem præ se ferret, ac utraqve fortuna semper idem non videretur, sed esset. Quam ob rem haud difficile fuit, tum alias calamitates, quas humana conditio secum ducit, tum præcipue suorum excessus ex hac vita æquo animo ferre, quos quidem doluit, sed non supra modum, verum prout decet virum bonum, ac christianum: nec unquam fractus est obtreçtatorum, quibus, ut optimus quisque, non caruit, calumniis ac injuriis, quas ferendo vincebat, tutissimum vincendi genus existimans, si ex possessione constantiæ non dimoveretur. Multas res, quibus humana felicitas absolvitur, assecutus est: uxores habuit ex animi sententia fidelissimas, quibuscum sine jurgio vixit & sine offensa; matrimonium cum secunda MARIA LINKIA, matrona ornatissima, diuturnum & foecundum fuit: filios vidit ingenio, ætate & honoribus florentes, ac patriæ laudis similes, filiam vero omnibus virtutibus sexus sui præstantissimam bis benè elocatam; generos adeptus est optimos, quorum superstes in magna celebritate

ac

ac in oculis omnium vivit, nurusque charissimas; nepotes denique neptesve plures familiam augere est expertus. Verum hæc omnia, honores etiam ac fortunas, eo posuit loco, ut pro suis non haberet, sed ad solius Dei Opt. Max. benignitatem referret, iisque ita, ac si quovis momento perdere posset, sobrie & magna cum moderatione uteretur. Eadem vivendi ratione & valetudinem sustentavit, qua usque ad ultimum fere vitæ tempus integra fuit; nec ideo afflixit eum senectus, nec enervavit, sed tantum virium reliquit, ut Principis officia & munia exequi posset, nec vivus statione decedere cogeretur. Atque licet corpore senex & septuagenarii ætatem superasset, nec ita procul ab octuagesimo abesset anno, animo tamen nunquam deficiebat, sed perpetua ejus firmitate ornat senectutem, ac decurso vitæ spatio mentem vinculis corporeis solutam Deo reddere, & mortalitatem placide finire cupiebat. Cujus rei cogitatione tantum abest, ut timor eum quidam accesserit, ut potius intrepide opperiretur fatum, & non ire, aut moram facere, sed prosilire se velle indicaret, nihilque in morte christiani calamitosum affirmaret inesse, ut quæ non extingueret animos, sed corpore inclusos solveret, atque onere depresso liberaret. Hac igitur mente noxam, quam humana labes contraxerat, deprecans, oraculisque coelestibus confirmatus, innixus in Christo Salvatore SEYFRIDUS sine omni perturbatione, integris sensibus, & animo divini luminis splendore collustrato in æternas sedes piis constitutas, ad illud divinum animarum concilium, spatio feliciter confecto, ex hac turba & colluvione victori similis commigravit. Quæ felicitas cum summa ac tanta sit, ut viduæ, liberorum, generi, nuruum, ac

ne-

20355 A
nepotum, quos mœstissimos reliquit, omniumque lu-
ctum, qui obitum hujus viri cum illis dolent, levare sola-
riq; possit: venerando seni eandem merito ex animo gra-
tulamur. Et quis quietem, qua tandem optimus vir post
tot labores, molestias, ac vitæ hujus incommoda, peri-
culosis hisce, ac turbulentis temporibus fruitur;
quis statum exoptatissimum, & omnibus numeris ab-
solutum, ad quem delatus, illi invidet? Virtus tamen
ejus nos hortatur, & monet, ut memoriam SAMUELIS
studiosè & diligenter conservemus, atque ut apud po-
steros inviolata sit, quanta possumus, cura efficiamus, ut
suspiciant eum, & tanquam virum recti exempli imiten-
tur. Mihi sane, quoad vivam, recordatio SEYFRIDI sem-
per sancta erit, quem, ut alias necessitudines taceam, ceu
patrem colui, & observavi; qui & ipse ob amicitiam,
quæ cum parente meo quondam intercessit, paterno
quodam affectu me prosecutus est, & patre orbatum
cura & consiliis juvit, variisque aliis beneficiis exorna-
vit. Quæ dum grato animo volvo, immortale Numen
oro & obtestor, ut SEYFRIDIANAM familiam meam mul-
tiplici nomine innexam, arctissimoque amicitiae vinculo
mihi junctam, omnibus bonis fortunisque cumulet, ut-
que preces & vota, quæ beatissimus vir pro suorum sa-
lute effudit, nuncupavitque, exaudire, atque rata habe-
re, & illos optima semper conditione uti, velit ac

jubeat!

M
 NOBILISSIMI, A TISSIMI,
 SAM L IS
 SE
 Qvæsturæ
 montium metalli
 patent,
 NON
 VITA
 CASPAR HE IUS, JC.
 Literis CHR
 ogr.

